



1780, 5a 6
494/

DISSERTATIO IN AVGVRALIS
DE
F O R O
S. R. I. PRINCIPVM
CVM
SVBDITIS SVIS LITIGANTIVM.

Q V A M
AVSPICIIS REGIIS
ILLVSTRIS
ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRO
*SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
CAPESSENDIS*

D. XI. JANVARII A. R. S. CLIO CCLXXX

Æ. L. Q. C.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SUBMITTIT

GEORGIVS FRIDERICVS MARTENS
HAMBVRGENSIS.

G O E T T I N G A E

*Litteris JO. CHRIST. DIETERICH
ACAD. TYPOGR.*

DISSESTITATIO INAGARUM

DE

E O R O

S R I P R I N C I P U M

CIVI

SABDITIS SIS HISTEVNTIA

G A M

V A S H I C H I S - R E E D S

I F F L A T T R I S

I C T O R I A M O R D I N I S A C T O R I A T T E

S U M M A R I S A M A T T O D I S A V A R A M O N O R I U M S

C E T T E S C A M B A R

O D I L T A N A H A R E S P I C C U R I X

M A G

T H E T I C O M A V A D I T I O N A M E X A M I N I

S E M I T A T I T T

G E O R G I A S T R I D E R I C A S M A R T E N S

H A M M A S C O R N S I

G O E T T I N G E

P R I N C I P I O S O C H R I S T I D E T T R I O N

C E D E S T Y P O K

etiam in illo obstante. XI. quod non est in omnibus. XII. et
non omnino in aliis, ut ipsi non certi sunt ac si essent. XIII.
Bellum non sicut omni liberae sunt ac secessione. XIV.
Quod non sicut omni liberae sunt ac secessione. XV.
Quod non sicut omni liberae sunt ac secessione. XVI.
Quod non sicut omni liberae sunt ac secessione. XVII.

C A P. I.

D E

FORO CAVSSARVM PRINCIPVM CVM SVBDITIS EX PRINCIPIIS IVRIS PVBLICI VNIVERSALIS.

§. I.

*In omni ciuitate pacum inter imperantem et subditos
supponitur.*

Posita ciuitate ponuntur mutua iura mutuaeque inter impe-
rantem et subditos obligationes. Ciuitas enim absque
pacto ^{a)}, et quidem bilateraliter, siue expresso, siue taci-
to, subiectionem vel antecedente, vel eam subsequente cogita-
ri vix ^{b)} potest. Voluntariam saltem subiectionem, collatio-
nemque summae potestatis in aliquem vel aliquos mente con-
cipere non possumus, nisi reseruatis a parte se subiicientium cer-
tis iuribus, certisque commidis, quorum in gratiam libertatis naturalis praerogatiui ex parte se abdicare adducuntur ^{c)}.
Voluntariae autem quodammodo aequiparanda videtur vi co-
acta subieccio, si postea accedit pactum.

^{a)} Nullum intercedere posse contractum inter populum et imperantem
contendit I. I. ROUSSEAU du contrat social liv. III, chap. XVI. et
XVIII.

XVIII. Haud tamen suō iure si quid video. Ex defectu obligationis externae et garantiae in hoc contractu non sequi videtur omnino contrahi non potuisse, alias in statu naturali omnino contrahi non posset. Quin ipsum quod allegat exemplum contra illum pugnare apparet, nonne enim donatio modalis est contractus naturalis, quum vel maxime pura inter pacta obligatoria referatur.

- b) Cogitari omnino non possit statutum sine tali pacto affirmare non auferim. Si pactum tacitum initum est, fungi potest cogitasse quidem de quibusdam conditionibus adiiciendis eos qui se subiecerunt, his tamen non expressis imperantem non ligari, adeoque manere pactum unilaterallex ex sola parte subiectorum obligationes producens. **G**eder l. **A.** St. Recht I. Abschn. §. 60. p. 289. Dein sola vi et iustis armis coactam subiectionem statui originem dare absque pacto multi contendunt, vide v. c. **Scheldemann** Staatsrecht nach drr Verhunst. P. I. S. I. c. 3. §. 28. p. 66. cf. tamen P. III. cap. II. §. 133. sq. p. 209. sqq. Contrarium vero asserendum. Quamdui enim victor non pactis sed sola vi et terrore viatos continent ambo in statu belli manent, qui est statui ciuili aduersans. **H**UBER de iure ciuitatis l. I. c. III. §. 12. vid. et **ROUSSEAU** l. c. chap. IV. V. **Puffendorf** de iure nat. L. VII. c. III. §. 5. 6.
- c) **G**eder l. c. §. 60. p. 288. **LOCKE** of civil Government chap. VII. n. 93. Opp. T. II. p. 184.

§. II. **Circa** hoc pacū variae oriri possunt laesiones: Huic pacto si ab uno alteroue contrahentium (sive sit imperans sive populus) non legitime satisfit, ab altera parte oritur laesio. Vario autem modo laedere potest princeps subditos, sive qua princeps sive vt priuatus. Priori respectu, prout vel ea offendit quae populo in complexu spectato se praestitum pacto promisit, vel ea violat, quae singulis subditis tribuere stipulatus est. Non itaque solum populus in complexu sed et singuli ab imperante laedi possunt, quorum laesio quum pa-

et aduersetur, simul continet laesionem totius partis contra-
hentisri. ei. populi.

In priuatis negotiis principis cum subditis iterum occur-
rere possunt laesiones subditorum, licet enim legibus suis pri-
uatis princeps iure perfecto a) non teneatur b), nisi ex con-
fensu, eius iuri tamē praceptis obstringitur, quod natura
omnes homines docuit, quae violari citra laesionem nequeunt.
Similiter a subditis laedi posse imperantem planum est, cum a
complexu populi tum a singulis. A complexu, si seruatis ab
imperante pactis populus praestare recusat, quod est in obliga-
tione, a singulis si vel imperantibus qua talis iura infringunt,
vel quae pactis priuatis cum principe promiserunt implere de-
trectant.

De cunctis hisce laesionibus, si lis oriatur utrum admis-
sae, et quomodo resarcienda sint, ad quem pertineat cogni-
tio et decernendi ius, operae pretium est videre.

a) Alter sentendum ex aequitate et politia, quod hoc non pertinet.
V. GROTIUS de iure belli et pacis L. II. c. 4. §. 12. p. m. 195.

b) vid. tamen STRUBE von Regier. u. Jus. S. Sect. III. §. X. p.
71. sq. ibique alleg. NOOTD de iure summi imperii.

LARREA allegat. fiscal. alleg. IV. p. 15. /q.

**Si populus in complexu de violatione pacis queritur non
tenetur se principis sententiae submittere.**

Inter ea iura quorum complexus sub appellatione juris
maiestatici conceditur imperanti (sive sit persona physica sive
moralis) dum homines in ciuitatem coeunt, eminent ius de qui-
buscunque litibus singulorum subditorum cognoscendi decer-
nendique, seu potestas iudicaria. Quin si conjecturae aliquid

dandum est, id ipsum, ut sit qui quascunque lites cum effectu
decidat, et vt iustitia recte administretur, quae quidem, ho-
mines dum in statu naturae vivunt, quo laesionum illatarum lae-
sus quisque raro non suspectus iudex et vltor est, difficillime
non a fortiore quouis violatur atque infringitur, id ipsum vide-
tur potissimum homines adduxisse, vt relista illimitatae liberta-
tis naturalis dulcedine alterius protestat se suasque lites submit-
terent.

Concessio huius protestatis iudicariae est pars pacis inter
imperantem et subditos, quod dum conderetur vterque contra-
hentium erga se inducere erat in statu naturali, nec alter alteri
superior. Quoties itaque adhuc de ipso pacto lis mouetur, vel
de eius interpretatione, vel de laesione aduersus illud ab altero
contrauentum admisa, neuter competens iudex esse potest.
Non imperans vi protestatis iudicariae quippe ei tantum ex con-
tractu competentis, et quidem duntaxat quoad lites singulorum,
non populus ^{a)}, siquidem eius iudicio se nunquam subiecit
princeps, nec alter eorum vt pars contrahens. Omnia hic pro-
cedunt vti in statu naturae, adeo, vt vbi nemo nisi Deus superior
est, praeter electionem arbitri ex conuentione, amicam com-
positionem et denique prouocationem ad iudicium Dei ^{b)} i. e.
arma, non alia finiendae litis via detur. Quando ad extremum
istud, bellum gerendi, deuenire liceat ex principiis iuris natu-
rae diiudicari potest; non enim ob vnamquamque laesionem a
principe admissam tantum iuris competere potest populo vt a
contractu recedens iniuriam vi repellat, sed modo tunc vbi salus
publica aliter salua esse nequit, cuius promotio erat conditio
causam dans contractui inter imperantem et subditos.

^{a)} Scheidemantel Staatsrecht nach der Vernunft und den Sitten
der Völker. P. I. S. 2. c. I. §. 60. p. 116.

^{b)} LOCKE of civil Government Chap. XIV. n. 163. l. c. p. 206.
A. SIDNEY on Government Chap. III. Sect. 36. p. 416.

2

complectentur in prædictis casis. **§. IV.** ut pereat dum perecillium a re
Idem fere de maiori parte populi afferendum.

Si maior pars populi de laesione ab imperante illata queritur idem fere iurius illi tribuendum esse videtur, quod vniuerso populo, plus saltem quam singulis subditis quum non eodem quam hi respectu ad ceteros compacifcentes teneantur a). Singuli nempe si quid sibi iniuriae ab imperante inferri putent, quoniam minus via facti eam repellere possint non modo pacto subiectionis cum imperante, sed eti pacto cum populo in complexu de subiectione facienda inito prohibentur; quin singulorum non est iudicare vtrum princeps iuribus suis maiestaticis recte statut nec ne.

a) Geden I. c. Mschin. II. §. 75. pag. 326.
§. V. *V. ut singularem suixit erit hinc*
Singulorum vero lites, quaecunque principis decisioni subsunt
vi potestatis iudicariae.

Lites singulorum quascumque dirimere principis est vi potestatis iudicariae (v. supra §. III.) ita tamen ut quum ipse hoc amplio officio fungi vix possit a) aliis eius exercitium demandare teneatur. Eius itaque cognitioni subsunt lites inter se et singulos subditos oriundae, sive ipse, sive subditus de laesione queratur, est enim vnicus fons iurisdictionis. Vtrum autem earum caussarum, quae se ipsum quouis modo tangunt, decisionem in se suscipere possit, an aliis eam committere teneatur, de eo dubitari potest.

Repugnare sane naturae rei videtur, simul aliquem et partis et iudicis officio fungi, periculofumque aliquem iudicem

com-

competentem in propria caussa agnoscere, quum paucissimi a natura ita comparati sint ut nec amore, nec odio, nec spe metuue, nec vlla animi perturbatione a iustitiae via se abduci patientur, adeoque plerique fere sint mali judices de rebus propriis b).

Verum quum inde, quod quis facile induci possit, vt nimium commodis suis indulgens a iustitiae via aberret, minime colligere fas sit eum reuera vel auaritia vel odio obcoecatum plus horum impulsui quam iustitiae et aequitati tributurum esse, saltem in principem, in quem tantum potestatis conferre populus non dubitauit, quemque sapientissimum et iustitiae maxime amantem iudicauit, nulla sordium suspicio cadat, et multo probabilius sit eum caussa cadere, quam cum ullius mortalium damno vitoria potiri malle, haud absconum videtur asserere, principem ipsum qua fontem omnis iurisdictionis si iure suo perfecto c) vti velit, posse in caussis suis cum subditis ius dicere d) nisi forte dixisse malueris pacto quo in principem translata est potestas iudicaria, tacitam inesse conditionem vt eam non ipse exerceat in caussis ad se spectantibus, ne vnuquam in despotiam degenerare possit respublica, in quam nunquam consensisse censendi sunt subditi e).

a) Vtrum principi ipsi licet lites subditorum dirimere de eo controveruant doctores. Strenue hoc ius principi vindicat Scheidemantel l. c. P. III. c. I. §. II. p. 18. Contrariam sententiam tenuerunt permulti vid. v. c. b. de BIELEFELD institut. politiques T. L. cap. VI. §. 26. p. 91. BODINVS de republica lib. IV. cap. 6. quae tamen allegant argumenta magis ad politiam et aequitatem, quam ad ius perfectum spectant. Iuvat hic afferre quid bac de re sentiat qui non inter reges modo sed et inter philosophos facile primus nominandus est FREDERICVS II. Borussiae rex. Is quin iustitiae administrationem aliis committeret his vtitur verbis: Ich weiß wol daß es meine erste Pflicht wäre, daß ich selbst meinen Untertanen Recht sprechen solte. Da ich aber durch viele andere Geschäfte nicht nur daran gehindert werde sondern es auch sehr schwer ist hinter die wahre Beschaffenheit einer Sache zu kommen; so etc. vid. Süßmich

milch göttliche Ordnung in den Veränderungen des menschl.
Geschl. P. I. cap. XIV. §. 278. p. m. 559.

b) ARISTOT. Polit. L. III. cap. VI.

c) Aequitatem aliud suadere facile largior qua quidem adductos tantum non omnes principes caussas suas aliis decidendas comittere infra docebo.

d) v. HEINECCIUS de dominis subditos iniud. suo conuen. §. 12. (opp. T. II. p. 322.) Scheidemantell. c. P. III. cap. I. §. 6. p. 13.

e) LOCKEL. c. chap. XI. n. 137. p. 196. et ROUSSEAU cl. cap. X. in fin. p. m. 161.

§. VI.

Adeoque lites suas cum subditis aliis decidendas demandare potest.

Multo magis autem affirmandum est, si imperans (vti certas forsan regiminis partes) exercitium potestatis iudicariae aliis demandauit, hos ex consensu principis etiam eas lites decidere posse, quae inter principem et subditos occurrunt, siue princeps sit actor siue reus, modo eo iurisdictionis genere praediti sint, quod caussae qualitas insert, nec quidquam iis desit ex his, quae in omni iudice adesse debent, nempe ut iustitiae et legum rationem habere et posse et velle censeantur. Fluit ex his requisitis vt si forte alioquin hi iudices ad promouenda principis commoda iuramento vel alio modo adstricti sint, hoc vinculo soluantur intuitu caussarum principis sua decisioni commissarum, ne hac ipsa iudicium electione peioris conditionis fiant subditi quam si princeps ipse suam caussam iudicare sibi sumisset, quum hic iustitiae et aequitatis amore a male iudicando arceatur, illi contra forte ipso officii quo apud principem fungnntur studio, ad iniquam sententiam ferendam impelli possint.

B

§. VII.

§. VII.

Sive iudiciis suis sive arbitris.

Obligatio haec imperantis comparendi coram suis iudiciis, si reus sit, fluit ex eius consensu, nemo enim illi negabit (si vel maxime largiatur ipsi decisionem non competere) ius, si malit arbitros quoscunque, si prouocatus sit, eligendi, vel ad singulas caussas, vel in perpetuum, modo sint idonei.

§. VIII.

Applicatio dictorum ad respublicas compositas.

Quae haftenus attulimus obtinent in republica simplici, vt philosophi loqui solent. Videamus nunc quatenus haec applicari possint ad respublicas compositas. Licet enim in ciuitate neminem praeter Deum imperanti superiorum esse *a*), et huius iura maiestatica communicari non posse recte affirmetur, hoc non ita accipendum est, quasi non posset imperans alicui partem territorii ita, v. c. in feudum concedere, vt hic omnia vel plurima regalia quoad hanc partem, non administratorio, sed proprio iure exerceat, adeoque summa potestate non immerito praeditus esse dicatur *b*) referuatis a parte concedentis tantum quibusdam iuribus et in primis inspectione in usum horum regalium.

Simili modo fingi potest ciuitatem aliquam se alterius reipublicae imperanti ea lege dedisse, vt et pristinam formam reipublicae et principem legesque suas retineat, concessis modo principi, cui se subiecit, quibusdam iuribus maiestatis priuatiue, et inspectione suprema in principem.

Vtique casu oritur status in statu; cuius quum habitus erga superiorum pendeat a conditionibus concessionis adiectis,

vix

II

vix quidquam in genere de eo differi posse videtur. Illud tamen appareat, quod si princeps qui certa sibi iura reseruauit, in his supremam iurisdictionem sibi adstipulatus est, tunc in litibus in statu (vt ita dicere fas sit) dependente inter principem et populum in complexu exortis, nunquam deueniri posse ad statum naturalem, nec tantum juris parti laesae competere, quantum in statibus quibus praeter Deum nullus principi superior est, nempe vt arma licite sumi queant, sed eiusmodi controversias coram principe supra iurisdictione instructo esse ventilandas, nisi lis amice componatur vel alias ex conuentione eligatur iudex.

Quoad singulas vero lites, principi dependenti, cui inter caetera regalia et potestas iudicaria concessa est, qua fonti iurisdictionis in suo terrtiorio omnia ea iura salua manent, quae ex potestate iudicaria fluere supra demonstrauimus, adeo vt caussas inter se et singulos subditos, si ipsi eas dirimere nefas sit, iudicii a se ad reliquas caussas constitutis, vel reus, arbitris electis committere possit, appellatione saltem ad principis iurisdictione supra pollutis iudicium salua. Ex inspectione autem huic in usum regalium competente consequitur quodsi princeps dependens potestate sua iudicandi adeo male utatur, vt vel iustitiam deneget, vel protrahat, tunc laesis aditum patere ad eum, penes quem inspectio haec constituta est.

C A P. II.
D E
FORO LITIVM INTER PRINCIPEM ET
S VBDITOS SECVNDVM PRAXIN
EVROPAE.

§. VIII.

*Consentit praxis Europae principiis iuris publici
vniuersalis.*

Principiis iuris publici vniuersalis conuenire demonstrauimus,
principem controuerfias sibi cum singulis subditis intercedentes, si ipse eas iudicare aut nolit aut non possit, iudiciis a se constitutis, vel arbitris electis, decidendas submittere. Iuuat nunc perscrutari, quid in plerisque Europae regnis hac de re constitutum sit, vt inde colligi possit, ad vnum fere omnes Europae imperantes ea aequitate, modestia ac verecundia et olim fuisse et esse adhuc hodie, vt siquidem potuissent causas suas ipsi decidere, tamen eas aliis, praesertim curiis suis ad iustitiam administrandam constitutis demandare maluerint.

§. X.

Quod apparent ex singulorum regnorum exemplis,

Iam apud Romanos legimus Tiberium imperatorem causas ad se pertinentes aliorum iudicio commisisse a). Traianum

num per actorem et procuratorem in ius comparuisse et interdum caussa cecidisse resert PLINIVS b). In genere caussae fiscales coram iudice ordinario tractabantur c), donec potissimum sub Claudio imperatore procuratori Caesaris concurrens in his caussis iurisdictio concederetur, quam huic deinceps priuatiue tribuit Constantinus M. per leg. 5. C. vbi caussae fisc.

In Germania caussae ad imperatores pertinentes, medio aevo decidebantur a principibus in iudicio principum seu patrum curiae, ita tamen, ut quum alias huic iudicio, conuocato ad eas lites dirimendas quae concernebant der Fürsten Leib, Erbe, Recht und Lehn ipse imperator praeesse soleret *), eius loco, si caussa ipsum concernebat, alter ex principibus index curiae eligeretur ab Imperatore d). Eiusmodi iudicis partes quum saepe demandatae sint Comiti Palatino Rheni orta inde est quaestio tot controvrsiis celebrata de iudicio Palatini in Caesarem e).

Hodie pleraque caussae ad imperatorem pertinentes summi imperii iudiciis commissae sunt f), solutis eum in finem iudicibus ab obligatione iuramenti, quo ceteroquin imperatori alligantur g).

Olim cum liberius in Anglia regnaretur fuit in illa Comes Palatinus, qui iniqua regum facta iure ac legibus cohiberet h). Caussas regi cum populo intercedentes mox a curia maiore, mox a magistratu *institia magna* vocato, decisas esse resert BODINVS i). Constat a saeculo Gulielmi I. regis, vulgo Conqueroris nomine appellati, fundatam aut saltem firmius constitutam esse curiam Banci Regii (*King's Bench*) ad dijudicandas caussas, quae inter regem et subditos ventilantur, et curiam fisci seu aerarii regii (*Exchequer*) ad quam spectat iudicium omnium caussarum de multis, feudorum alienationibus,

bonorum publicatione, aliarumque in quibus de iure fisci regii agitur *k*).

Vtramque curiam adhuc hodie vigere easdemque partes illi demandatas esse colligi potest ex *BLAKSTONE l*).

Galliae reges olim non sibi ipsi ius dicebant, sed caussae ipsorum in Parlamentis decidebantur *m*), adeo ut saepe eos caussa cecidisse referatur *n*).

Singulare exemplum latae aduersus Carolum VII. sententiae allegat *PFEFFINGER O*), quin recentioribus adhuc temporibus eundem morem tractandi caussas regis in Parlamentis viguisse obseruat *DE SENKENBERG P*). Nonnulla quidem nouissimis temporibus in his immutata censenda sunt praesertim abolito veteri Parlamento a Ludov. XV. anno 1771. et novo instituo. Notandum tamen est restituto ex parte antiquo Parlamento ab eius nepote Ludov. XVI. ao. 1774, restitutam quoque esse „*la Cour des Aydes de Paris*” vt et *de Clermont Ferrand q*). Vtique iudicio commissae sunt controuersiae iura regalia et praesertim tributa concernentes *r*).

In Arragonia summum iustitiae tribunal regi quoque ius dicebat, et hic forum suum legitimum in illo habebat *s*).

Hispaniae reges olim coram regni ordinibus in conuentibus vt vocant triennalibus responderunt *t*). Singulare exemplum institutae a D. Diego, Columbi filio, actionis aduersus regem coram regni tribunal cui res Indicae commissae erant, habet *ROBERTSON u*). Quam alte de iustitia senserit rex *PHILIPPVS II*, adeo ut non modo caussas suas iudicio supremo submittere non dubitauerit, sed et se ipsum potius quam vnum e subditis laedi maluerit, fisci potest ex responso quod dedit *x*) senatori consilii supremi, qui ei retulit quae acta erant in senatu, in caussa qua maxime augeri potuisset eius regale patrimonium.

Pari

Pari modo et hodie reges Hispaniae comparere coram summo regni tribunal (Consejo Real y supremo, y) affirmare non dubito.

Bohemiae reges, ratione Bohemiae coram Camerario et regni baronibus se sistere, refertur z).

Sueciae rex G V S T A V V S III. non dubitat se primum liberae gentis ciuem appellare a). Refert inter officia regis ut neminem vita, honore, commodis priuet, nisi is legaliter coniuctus fuerit, vt nemini quidquam ex patrimonio sive mobili sive immobili auferat, nisi praecesserit via iuris et sententia solita b). Quoad cauñas ad ipsum regem pertinentes haec sententia videtur in iudicio aulico pronuncianda esse, vt supremo Sueciae tribunal coram quo fiscales regii respondere tenentur c).

In Dania vniuersum regni senatum iudicare in cauassis regi cum subditis interuenientibus, contendit A R N I S A E V S d) et refert quae hac de re cauta sunt in Capitulatione C H R I S T I A N I II. vt rex ad postulata litigantis visitato more iudiciorum respondeat.

Patet ex instructione quam Russiae imperatrix C A T H A R I N A II. de confiendo nouo Codice legum dedit, quam sollicite curet, ne subditi a principe per administrationem iustitiae laedi possint. Sapientissime ait a P E T R O magno iudicia ad dirimendas lites constituta esse, quum principi nunquam licet ipsi ius dicere quin ne appellatio quidem ad principem, nisi rarissime sit concedenda e). Refert inter requisita status moderata forma regiminis gaudentis, vt nemo subditorum bonis aut fama priuetur nisi praeuia cauſae cognitione solida et adcurata; vt nemo capite plactatur nisi concessis illi quibuscunque mediis ad defensionem inferuentibus f). Ex his principiis apparere videtur, imperatricem non dignari etiam cauñas suas cum singulis subditis cognitioni iudicis submittere. Coram quo iudicio autem copiam sui faciat, haud dubie ex noue codice legum disci poterit.

Co-

Coronidis loco hic afferri merentur verba quibus Borussiae
tex FRIDERICVS II. vsls est, quam summam administrationi
et inspectionem in omnia sua iustitiae tribunalia archicancellario
conferret: „ich ermahne ihn ... und bitte ihn nicht nur in mein
„nem, sondern so vieler Millionen Menschen Nahmen, dafür
„zu sorgen, daß die Justizbedienungen mit rechtmäßigkeit und
„geschickten Männern besetzt werden, daß die Gerechtigkeit ohne
„Ansehn der Person gesprochen werde, es mag mich selbst,
„einen Prinzen oder wer es auch sey treffen etc. Subiecit
non solum hoc modo caussas suas propriis suis iudicis, sed et
quum ei referretur in quibusdam litibus sibi cum subditis obuiis
ipsum caussa cecidisse, propria manu haec verba adscripsit:
„ich verlange keine andre Justiz, als welcher sich auch der ge-
„ringste meiner Unterthanen gegen seines gleichen zu gewärtigen
„hat, und lasse mir es also gefallen was mir von der Justiz
„abgesprochen wird...“ Quis tam insignem iustitiae amorem fa-
tis dignis laudibus efferre potest, aut felicitatem illorum ora-
tione consequi, quibus tali principi parere contigit!

a) TACITVS Annal. lib. IV. c. 6. 7.

b) Panegyr. cap. XXXVI.

c) Strube von Regierung und Justiz-Sachen Sect. III. §. XI. p. 74.

“) v. Conflit, FRID. II. de 1235. cf. BLVM, de iud. curiae imperialis
cap. I. §. III.

d) v. G. L. BÖHMER de iudice curiae feudalisi §. IX. in obseruat. feu-
dal. obs. XI. p. 301.

e) de hac videri possunt PFEFFINGER T. III. Lib. III. tit. XII. p.
888. de SENKENBERG de fabula iudicij Palatini (In triqa dissert.
disq. II.) Moſer teutsche Justizverf. I Th. I B. Cap. 2. §. 6.

f) R. H. R. O. tit. II. §. I.

g) R. H. R. O. tit. I. §. 17.

h) de SENKENB. I. c. cap. I. §. II. p. 69. ibique allegatum du CANGE
in Glossar, verbo *Iustitiarius*.

- i) *de republica* I. I. cap. VIII. pag. 84.
 k) C. H. S. GATZERT *commentatio de iure communis Angliae* § 9. not. p. 27.
 l) *Analysis of the laws of England* Book III. chap. II. §. 7. collat. chap. VIII. §. 7.
 m) GOTOFREDVS in notis ad *Rubr. tit.* Cod. ne quis in sua causa not. I.
 n) BVXTORF ad A. B. cap. V. concl. 80. lit. b. (in disputat. Ba-fil. Vol. II.)
 n) STRYK de foro princip. priuatorumque communi cap. I. (in opp. Sam. et I. Sam. Stryk. Tom. VII. disp. XXV.) quin minus iuris re-ges habuisse quam priuatos videtur, quem nunquam iis restitutio in integrum ex capite minorenitatis concessam esse referat BODINVS I. c. p. 104.
 o) *Vitriar. illustr.* T. III. lib. III. tit. XII. §. 16. p. 888.
 p) I. c. cap. I. §. II. not. e.
 q) *Procès verbal de ce qui s'est passé au lit de justice tenu 1774. Edits.*
 r) *Procès verbal*. p. 20. et ll. cc.
 s) BORELL. de Praef. reg. Catol. c. 46, n. 54. STRYK de foro prin-cip. priuatorumque comm. Cap. I.
 t) REINKING de regim. sec. et eccl. I. I. cl. 2. c. 2. §. 222.
 u) *History of America* Vol. I. Book III. p. 188. fq.
 x) LARREA allegat. fiscal. proem. n. 9. p. 2. verba eius haec sunt: "doctor semper in cura habe et renuncia senatu, in dubio semper contra me pronuntiandum esse."
 y) Achenwall *Staatsverf.* cap. I. §. 29. p. m. 75.
 z) PFEFFINGER ad Vitri. T. III. lib. III. tit. XII. p. 889. Constitu-tionem Caroli IV. hic pertinentem vid. apud GOLDAST *de regno Bo-hem.* C. IV. c. 14. §. 2.
 a) Schwedische Anecdote nebst einer Reihe von Schwedischen Königen im Grunbrisce. Sect. V. p. 109.
 b) I. c. p. 114. n. 2.
 c) I. c. p. 124.
 d) *de iure maiest.* I. I. c. 6. n. I.
 e) Instruction zu Verfert. eines neuen Gesetzb. cap. IX. n. 99. et 149. vid. Neuerändertes Rügl. I Th. n. 6.
 f) Instruction I. c. n. 114.

C A P . III.

**IV DICIO LITIVM V INTER PRINCIPES
GERMANIAE ET SVBDITOS ANTE CONSTI-
TVTIONEM CAMERAE IMPERIALIS.**

§. XI.

*Simile quid iis quae de ceteris principibus asserta sunt in
terris principum Germaniae obtinere merito
praesumitur.*

Quum ex supra dictis appareat, non modo principiis iuris
publ. vniuers. sed et praxi tantum non omnium Europae
regnorum consentire, vt principis causae cum subditis in fo-
ro ipsius principis agitentur, haud sine veritatis assensu iam
suspicari potest, simile quid etiam obtinere in singulis princ-
ipum Germaniae teris; obtinere autem reuera nunc exponen-
dum est. Licet enim vel ex definitione imperii Germanici,
quod sit regnum diuisum in plures respublicas plane diuersas,
unitas tamen in modum reipublicae compositae sub communi supremo
imperio monarchico restriicto, elecitio a), colligi possit insignis
diuersitas singularum harum rerumpublicarum a ceteris regnis
vel rebuspublicis, quae quidem in eo potissimum se exserit,
quod hae praeter Deum nullum superiorem agnoscant, illae
imperatori et imperio subsint, adeoque is valde erraret, qui

ex

ex ceterorum Europae regnorum habitu Germaniae principum statum et iura disci posse fibi fingeret, ea tamen iura quae proprie ex superioritate territoriali fluunt b), principibus Germaniae, quippe dudum iam superioritate territoriali praeditis, non minus quam aliis quibusunque principibus regibusue tribuenda sunt, saluis modo iuribus reseruatis imperatori.

a) PÜTTER Institut. iuris publ. L. I. c. III. §. 32.

b) Horum in numerum referri potestatem iudicariam, iam supra allegatum est.

§. XII.

Quid reuera obtineat, ex pacis legibus et obseruantia diuidicandum est.

Iam nunc exponendum est quodnam forum controuersiae principum Germaniae cum subditis suis secundum pacta, obseruantiam et leges imperii fortiantur, quando foro principis territoriali locus sit, quando pertineat caufa ad imperatoris iudicium, vi huius supremae iurisdictionis et inspectionis. Quod ut commode fieri possit, et praefertim vt ea, quae partim in Constitutionibus Cameralibus, partim in aliis legibus imperii fundamentalibus in hac materia constituta inueniuntur, ex mente legislatorum rite explicari possint, medii aeuii fontes videntur adeundi, sine quorum ope vix villa ex iis quae statum publicum hodiernum concernunt solide explicari posse, fatentur qui rerum Germanicarum peritissimi sunt.

§. XIII.

Duces sub Chlodovaeo insigni potestate in iure dicendo pollebant.

Ne tamen aeque fusius digredi videar, ad ea tempora recurrere nolim, quibus Germaniam diuifam fuisse in multas

gentes plane separatas, nec vlo communi imperii vinculo coniunctas resertur. Reges quidem singulis hisce gentibus fuisse certum est, sed nomine magis quam vera regia potestate a); aliis satrapas in bello ex fortis decreto duces, hoc peracto ceteris aequales b), Occurrit et mentio comitiorum populi, in quibus causas principis cum populo tractatas esse verosimile videtur cōringio c); sed quis quaeso audeat hos principes cum nostris comparare, aut ex auctoritate primorum in his comitiis, statuum imperii originem ducere d); omnia enim abhinc mutata sunt, non semel sed iterata vice. Prima hodierni status imperii rudimenta in Saec. Vto quaerenda sunt, ex quo finitis tandem integrarum gentium migrationibus stabilitisque earum sedibus, demum legibus scriptis viuere coeptum est, et praesertim ex quo Chlodouaeus viatis tandem et expulsis ex ea quam adhuc tenebant Galliae parte Romanis, communis singularum gentium superior factus, inclytæ Franciae monarchiae fundamenta iecit Ao. 486. Prout nempe gens aliqua vel armorum vi coacta, vel voluntaria ditione et pacto se huic subiecerat, eo plus minusue iuris et liberatis retinuit. Multis ex his suis legibus viuere e) et duces habere, qui in bello res militares curarent et copias producerent, in pace iuri dicundo praesserent f), a Clodouao concessum est. Tantum his ducibus auctoritatis tribuunt nonnulli in administranda iustitia, vt ne appellationi quidem ab eorum iudicio ad regem locum fuisse contendant g).

a) TACITVS de moribus German. c. 7.

b) BEDA hif. ecclie. Gent. Angl. I. 5. c. II.

c) de iud. reip. Germ. §. 18.

d) de his comitiis vid. Runde von dem Ursprung der Reichsstandshaft der Bischöfe und Äbte. C. I.

e) quod probant collectiones legum prouincialium quarum prima est patius legis salicæ de ao. 442. Pleraque harum legum sunt criminales, vt solent esse primæ cuiusvis gentis constitutiones.

f) *Fortunatus Fidelis ad Lupum ducem l. 7. c. 7. cf. ALTESERRA
de duc. et comit. Galliae l. I. c. 4. p. 15.*

g) *J. D. v. Glenschläger Erläut. der G. B. §. LI. p. 184. §. LXIII.
p. 236. de BUAT les origines ou l'ancien Gouvernement de la France.
P. IV. p. 205,*

§. XIII.

*Ob denegatam a comite vel duce iustitiam ad missos, q
missos ad regem appellare licebat sub Carolo M.*

Ex quo autem CAROLVS M. imperii gubernacula tenuit, eximiam hanc ducum potestatem infringere, numerum eorum imminuere coepit, maxime diuisis ipsorum terris in plures comitias; nomen tamen ducum haud plane sustulit a). De re iudicaria quam maxime sollicitus, administrandae iustitiae causa constituit comites multos, marchiones ad tuendas fines, nuntios camerales ad iura fisci promouenda. Ne autem hi iurisdictione sibi concessa abuti possent, instituit CAROLVS M. missos regios qui si quid male aut negligententer a comite agi nuntiatur, in eius comitiam migrarent, et omnia restituerent. Siquidam vero capitularibus C. M. et Ludov. P. cautum est, vt si a comite iustitia denegaretur vel protraheretur, missi regii tamdiu de ipsis rebus viuerent, donec is iustitiam faceret b). Ob quancunque autem negligentiam vel illatam a comite iniuriam cui libet ex plebe licebat ad missos regios appellare c), ob missi regii negligentiam in iudicando prouocationi ad Caesarum locus erat d).

a) V. PFEFFINGER ad Vitrar. T. II. Lib. I. tit. XVI. p. 84. sp.

b) Capit. Carol. M. l. IV. c. 66. vid. GEORGISCH corpus iuris Germanici antiqui p. 1386. et l. V. c. 204. l. c. p. 1451. et in Capitul. addit. quarta n. CXXXIX. l. c. p. 1834. in Cap. Lud. Pii leg. 52. l. c. p. 1214.

c) CONRING de iud. reip. Germ. §. 36. ibique allegat. VADIANVM de colleg. et monast. veter. Germ.

d) Cap.

a) Cap. reg. Franc. de ao. 829. cap. 2. n. XV. apud GEORGISCH p. 905. et in additione IV. capitularium n. CXV. l. c. p. 1828.

§. XV.

Duces et comites in causis ad se spectantibus vicarium iudicem constituebant.

Iurisdictionem exercebant comites et duces adscitis in consilium scabinis ex conditione litigantium; ipsi non erant nisi praesides, voto carentes et ex sententia scabinorum ius dicentes a). Quoties vero causa ad se ipsos pertinebat, vicarium iudicem in suum locum eligebant, qui vota colligeret et secundum haec sententiam pronunciaret. Morem hunc, ut de iudice vicarius eius seu substitutus cognosceret, generalem in Germania fuisse obseruat DE SENKENBERG b).

Quodsi vero altera litigantium pars hac sententia se gravatam esse putabat, appellationi ad missos vel denique ad Cae- farem locus erat. Solebant enim et Garolus M. et eius successores in imperio, ipsi pro tribunali sedere et ius dicere, appellationesque recipere, quod quidem se semel in vna hebdomade fa- turum esse diserte promisit Carolus M. c). Priuatum etiam interdum Carolum M. ius dixisse si quae forte controvrsiae extortae erant quae difficilius a comitibus vel missis decidi poterant, refert EGINHARD d).

a) DE SENKENBERG de fab. iud. Palat. cap. I. §. VI. PUFFEN- DORF de iuris. Germ. P. I. c. 3. §. 2. 3. p. 77. seqq.

b) l. c. §. III.

c) Capitul. C. M. de ao. 829. tit. 2. c. XIV. apud Georgisch pag. 905. De Ludov. Pio vide Annal. Francof. ad a. 852.

d) in vita Caroli M. cap. 24.

§. XVI.

IV

THESES.

.HV

autem iudicari amicos sordidum enim ministerium administratur et
Iudicari impetrare utrumque amicos

*E*tiam de iure Canonico agi potest in foro contractus licet reus
ibi non inveniatur, modo bona ibi habeat. Dicitur etiam quod
aliquantum utrumque amicos

II.

Morbi sumptus, pharmaca, medicorum salario, nullum pri-
uilegium in concursu habent ex iure ciuili, bene tamen ex moribus.

III.

Querela inofficiosi fratribus non datur aduersus infamia facti
laborantes.

III.

Conduktor operis, qui fidem fecit, non habet hypothecam pri-
uilegiatam in aedibus a se exstructis.

V.

Matri nulla debetur legitima ab herede qui filio ex pupilla-
ri substitutione succedit.

D

VI.

Cap. 20. Tit. de se. Secundum cap. 20. et 21. quod ex capitulo 20.
secundum et 21. additione IV. capitulum cap. CXV. l. 6. p. 162.

VI.

Torturam passus, nec confessus, interdum adhuc poena extraordianaria affici potest.

VII.

Ad testamentum parentum inter liberos coram testibus reuocandum, septem testes requiruntur.

VIII.

Donatio propter nuptias non ad securitatem sed ad remunerationem dotis tendit.

IX.

Moto concursu creditores contradictum locationis a debitore obaerato initum implere tenentur.

X.

Aliquid impedit non esse debet impeditum.

XI.

Aliquid impedit non esse debet impeditum.

XII.

Aliquid impedit non esse debet impeditum.

XIII.

Aliquid impedit non esse debet impeditum.

XIV.

XV.

Göttingen, Diss., 1780



3b



